



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MARALALENSIS** IN KENIA NOVA CONDITUR
DIOECESIS MARALALENSIS Ad plenius et efficacius consulendum aeternae salutis atque regimini Christianorum Keniae intra fines Marsabitensis dioecesis commorantium, petatum est nuper ut ibidem nova constitueretur dioecesis. Quoniam vero Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis habituque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Ioannis Tonucci, Archiepiscopi titulo Torcellani et in memorata Natione Apostolici Nuntii, ad motam postulationem accipiendam esse censuerunt, Nos, Qui gravissimum gerimus officium supremi Pastoris catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A dioecesi Marsabitensi separamus territorium districtus civilis, qui patrio sermone nuncupatur Maralal; ex eoque novam condimus dioecesim *Maralalensem*, quam metropolitanae Sedi Nyeriensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe « Maralal » dum templum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, ibidem exstans, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescriptis perducet ad exitum praedictus Venerabilis Frater Ioannes Tonucci, qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad memoratam Congregationem mittenda. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo quinto mensis Iunii, anno Domini bis millesimo primo, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

CRESCENTIUS card. SEPE

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Horatius Cocchetti, *Protonot. Apost.*

s.n.

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 11, pp. 739-740 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana